

lentissima animadvertenti, ne mediocria quidem præstare, rubori
oportet esse. Nam neg, illud ipsum inquit iterum eodem loco Tul-
lius, quod est optimum, desperandum est, & in præstantibus rebus ma-
gna sunt ea, quæ sunt optimis proxima. Donare quæso nobis homi-
nibus hoc solatij, quod ex profectu discipulorum capimus: nam si
rectè judicare velitis de perverso hujus mundi judicio & procel-
su, scitis nostrum esse,

Difficile heu nimium munus, plenumq; labore,
Judiciisq; hominum variis. Nam culpa docentis
plerumq; arguitur, si lævâ in parte mamillæ
nîl saliat puero: vel si spes ille parentum
impleteat, ingratus vacuam mercede crumenam
Doctoris miseri sinit, & se proripit ultrà.
Nos tamen hoc agimus, tenuiq; in pulvere sulcos
ducimus? & cur non mage de lodice parandâ
solliciti, Veneris donamus scripta marito;
& steriles tineis libros, res nulla minoris
quando patri constat quam filius, & grave nobis
exhaustis incumbit onus rerum omnium egenis.
Scilicet est aliquid vili se involvere panno
& tenui mercede graves tolerare labores
virtutis studio rectiq; cupidine tractum!

uti rectè hoc ipso anno ex satyrâ *Invenalis* septimâ in ce-
leberrimâ Lipsiâ fuit conquestus M. Fridericus Rappoltus. (7) Quis
non cum *Martiale* (v) Ethnico indignetur

At me litterulas stulti docuere parentes:

quid cum Grammaticis Rhetoribusq; mihi?
Frange leves calamos & scinde Thaleja libellos,
si dare sutori calceus ista potest

nisi

(7) In *Laudibus Magistrorum* carm. IV. (v) lib. IX. epigr. 75.